



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Martiano duce, & obsidione Nisibis. Caput VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

cessit, ducem Vardane, qui apud eos tum ob generis & honoris splendorem, tum ob peritiam rei militaris facile primas obtinuit. Itaque Iustinus, Chosroem his de rebus eum insimulantem hac oratione repulit: præfinitum pauci tempus effluxisse, nec fas esse, ut Christiani Christianos in tempore belli ad se confugientes desertos esse patiantur. Atque Iustinus, tametsi istud dedit responsum Chosroi, tamen ad bellum gerendum neutiquam se parat, sed consuetis delitijs tenetur iiretitus, omniaq; suæ voluptati postponit.

*De Martiano duce, & obsidione Nisibis.*

*Caput VIII.*

**I**Nterea Martianum, cognatum suum, mittit ducem in Orientem: cui neque exercitum aptum ad præliandum, neque res alias ad bellum gerendum necessarias suppeditat. Qui non sine aperto discrimine, & extremo de summa rerum periculo petit Mesopotamiam, ductis secum per paucis militibus, iisque inermibus: inter quos habuit & fossores & bulcos nonnullos ex numero vestigalium exemptos. Leuem igitur pugnam circiter Nisibin contra Persas quosdam instituit, reliquis Persis nondum ad arma paratis: atque superiores adeptus, obsidet civitatem. At Persæ ne portas quidem occludere operæ prætium putarunt, sed exercitum Romanum turpissimis affectum contumelijs penitus contemnere visi sunt. Ac quanquam multa alia prodigia calamitates futuras portendentia visa fuere, inter cætera tamen in ipso belli initio, Vitulus recens editus visus est, qui duo capita habuit ex vna ceruice excre-scentia.

*Quod Chosroes vbi contra Romanos Adarmanem ducem miserat, qui illos magnis multisque cladibus affecit, ipse Nisibim profectus est.*

*Caput IX.*

**C**Hosroes verò, vbi satis ad bellum gerendum instructus fuit, Adarmanem aliquousque perductum trans Eu-phratem qui in ditione sua erat, mittit cum exercitu: qui eius iussu in fines imperij Romani per urbem, quæ Circesium dicitur, irrumpit. Circesium autem est urbs Romanis oppor-